



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 67. Ximenius conscensa navi in Hispaniam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Hispaniam reduxit. Demum capta ur-
 bis possessione, ac deprædicata tam Bel-
 liducum, quam militum fortitudine, cun-
 ctis nomine Regis grates rependit, cui
 Legatum misit, qui prosperum ei expedi-
 tionis eventum nunciaret. Postea pri-
 mas eo curas intendit, ut humatis ca-
 daveribus, quæ jamjam aerem inficere
 videbantur, urbem perpurgaret, atque in-
 fidelium delubra ritu sacro expiata Chri-
 stianorum more ornaret. Præprimis
 vero ipsemet augustius fanum, quod *Mo-
 scheam* appellant, sub invocatione B. V.
 Mariæ de Victoria consecravit ac Clerum,
 Monachos, & Xenodochia instituit, eis-
 que ad sustentationem prædia, redditus-
 que necnon ædes ad habitandum com-
 modas assignavit, qua liberalitate urbem
 magna incolarum frequentia auxit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1509.

§. LXVII.

*Ximinius conscensa navi in Hispaniam
 reversus.*

Rebus omnibus ita dispositis, Ximinius *Gomez ib.*
 Ferdinandum supremum urbis, Ora-
 niensisque ditionis Principem proclamari
 jussit, utramque tamen in spiritualibus
 Ecclesiæ Toletanæ subjectam esse voluit,
 eique pariter tam Regios census, quam pu-
 blicos redditus, ac omnia, quæcunque prio-
 ribus ditionis hujus Regibus obvenerant,

F 4 attri-

Sæcul. XVI. attribuit. Denique, postquam Oranum
A. C. 1509. sua opera in Regis potestatem rede-
 gisset, ipsumque Christianorum exercitum tan-
 topere auxisset, ut victoriarum cursum
 ad ultiores Africæ oras protendere fa-
 cile posset, ipse gloriæ suæ, ac vi-
 ctoriis finem posuit, & die vigesima ter-
 tia Maji in Hispaniam conscensa navi re-
 diit tam secundo usus vento, ut eodem
 die Carthaginem appelleretur, ubi binas
 a Rege accepit literas, quibus ad aulam
 invitabatur, ut ob præclara, quæ tam
 Regno quam Religioni præstitit, obsequia
 debitos quoque honores reciperet. Ast
 Ximenius Regi Catholico pro sua in
 eum benevolentia gratias agens, id unum
 efflagitabat, ut ad vires refocillandas,
 Complutum petere permetteretur, ubi
 paulopost adveniens, non modo solemnem
 ingressum, sed etiam officiosas gratula-
 tiones penitus recusabat, palam omnibus
 professus, hujus victoriæ gloriam non
 tam suæ sollicitudini, quam Numinis cle-
 mentiæ, ac militum fortitudini potissi-
 mum in acceptis referendam.

§. LXVIII.

*Ximenii contentio cum quodam Fran-
 ciscano Oranensem Episcopatum
 ambiente.*

Allicquot post annis quidam Ordinis S.
 Fran-